

De Comitibus a Sampach stirpe et descendencia genealogica.

A r t i c u l u s 65.

Quoniam Statibus et Ordinibus ex parte Spectabilis ac Magnifici Domini Comitibus Zdenko a Sampach repraesentatum est; in proxime praeterita Regni Hungariae Dieta, in Anno 1622. Sopronii celebrata, inter alias externae nationis personas in caetum et numerum Regnicolarum Ungarorum receptione, ipsum quoque non aliter adnumeratum et cooptatum esse, quam si alienigena et extraneae nationis foret.

§. 1. Caeterum quoniam compertum habetur et privilegialibus literis ac authenticis instrumentis contestatum est; ipsum Comitem Originem ducere ex genere Illyrico; in decus prosapiae suae, placuit Statibus et Ordinibus ut peculiari Articulo idipsum declaretur, ipseque Comes a Sampach non tanquam externae nationis persona in Regnicolam Ungarum noviter creatus; sed tanquam Sacrae Coronae membrum et indigena, juriisque Regni capax haberetur ac reputaretur. *)

FERDINANDI II. IMPER. & REGIS DECRETUM III. ANNI 1630. ARTIC. POST CORON.

*De Confiniis tam Hungariae quam Banalibus Colapianis per Commissarios per-
lustrandis: Et de subsidiis Imperii antea consuetis, per suam Majestatem pro-
curandis: Fortalitiisque et praesidiis Ujvár, Egervár, Nempthi et Szalavár
muniendis.*

A r t i c u l u s 2.

Quia Regnum istud Hungariae eo loci est Divina Providentia constitutum, ut adversus juratos et capitales populi DEI hostes, quibus longissimo terrarum tractu periculosa vicinitate contiguatur, merito Christiani Imperii propugnaculum dici haberique possit ac debeat.

§. 1. Ideo Status et Ordines, non immerito primum et ante omnia, de iis deliberandum et concludendum esse censuerunt; quae Patriae huic residuae securitatem pariter et promotionem adferre praestareque possint.

§. 2. Inter quae omnium consensu principalem locum sibi vendicant Confinia, quae salutem pariter et exitium pro qualitate dispositionis eorum, solent experientia teste, Regno plerumque adferre et causare.

§. 3. Cum ergo ad Confiniorum statum haec potissimum sint necessaria: Fabrica nimirum, Stipendium, Annona et Armatura, de eorum tam videlicet Ungaricorum, quam Banalium Colapianorum, nominatim vero Novae Arcis fortificatione et reparatione, visum est Sacrae Caesaris Religiaeque Majestati et Regnicolis; ut ad opus adeo necessarium et utile confestim periti et idonei Architecti et operarii expediantur: Atque in fabricae ipsius sumptus comparandos et in eum

*) Sic etiam Kollonich, quia Croata; indigena Hungariae recognoscitur, An. 1618. a. 5. Id quod jam clara lege definitum habemus; An. 1741. a. 61.